



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Commentarius Tertius In Libros De Coelo; De Generatione Et Corruptione;
De Anima; Et Metaphysicam Aristotelis

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

Dubium I. Quid sit ens Reale, sive possibile, ut opponitur ficto.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95375](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95375)

considerare ens ut ens, quod cum sit omni naturæ identificatum, & objectivè idem quod natura, ab eo dici non potest transphysisca seu transnaturalis: quare legendum puto *Meta Physica* duobus verbis, ut sit sensus, meta naturalis seu naturæ, quia ens in communi considerat, quod est meta seu terminus naturæ; ubique tamen unâ voce à nobis exprimitur, ne videamur in quæstione de nomine, contra communem consensum velle pugnare. Ex his

Collige ens in communi esse objectum materiale Metaphysicæ: formale verò intelligibilitatem entis in communi.

DISPUTATIO PRIMA

De Ente Reali in Communi.

I. **D**E Ente ficto, satis multa diximus in Logica Tractat. 1^o. quæ ibi videre poteris.

D V B I V M I.

Quid sit Ens Reale, sive possibile, ut opponitur ficto.

II. **D**ixi ens reale, sive possibile; quia una est utriusq; entis realis & possibilis definitio.

R E S O L U T I O.

III. **D**ico, ens reale, sive possibile, ut sic, intrinsecè & ex parte sua nihil aliud est, quàm non repugnantia ad existendum, quæ sub hac conditione explicetur, *Si per possibile, vel impossibile, res existat, non involvit duo contradictoria, juxta illud Aristotelis lib. 9^o. Text. 9^o. Est id ex quo posito in actu nihil sequitur impossibile*: Vnde illa non repugnantia nihil est actuale, sed quidpiam objectivum tantum, potens actuari & existere; extrinsecè verò, & ex parte causæ producentis, est omnipotentia Dei ipsius productiva: hinc de possibili eodem modo Philosophandum ac de visibili, quod dicit duos respectus, ad rem scilicet & potentiam, sic ut à re sit rei visibilitas intrinseca, à potentia verò rei visibilitas extrinseca.

IV. Dices, definitio valde obscura est, & multorum entium non repugnantia, ac proinde realitas, sive possibilitas, supponitur, cujus repugnantia repugnantia non adfertur, sive quæ repugnare non repugnat: unde, si de quocumque ente, de quo dicitur non repugnat existere, dixerò non repugnat repugnare existere, tantum pro entis impossibilitate habuero, quantum tu pro possibilitate: ergo, &c.

V. Respondeo, (præterquam quòd ex libris Physicorum satis patet quid prudenter dicatur possibile) negando assumptum: Ad ejus probationem, Respondeo hoc ipso quòd entis non repugnantia prudenter supponitur juxta dicta in octo libris

R. P. Francisci Banz Spei Metaphysica.

Physicorum, virtualiter, & satis, repugnantia repugnantiam adferri; nisi aliunde ejus repugnantia probetur: quia sicut non potes à Deo auferre finem ratione positiva & fundamento, quod habere contenditur; quia habere est bonum, & perfectum, saltem transcendentaliter: ita nec finem positivam ratione & fundamento dicere potes non implicat implicare, id est, implicat (quia duo prima verba, quæ se mutuo tollunt, utpote negatio negationis, puto pro non intelligentibus per exaggerationem addi) habere quod habere contenditur, sic ut virtualiter dicas non habet; non habere autem malum & imperfectum est, saltem transcendentaliter, utpote privatio boni & perfecti transcendentalis: Deinde si sufficiat dicere naturam & essentiam istorum entium duo contradictoria exigere; quandoquidem istius exigentiæ fundamentum aliud non habeas, quàm purum beneplacitum & ignorantiam, non experientiam de opposito, &c. simili fictione & puro beneplacito, &c. dicam Deum non posse creare alium solem, alium mundum, &c. naturam humanam non esse magis numero per Deum multiplicabilem, quàm juxta Dei decreta de facto multiplicabitur, &c. impotentia ista in natura & essentia solis, mundi, &c. fundata, sive, ut tuâ ratione utar, quia non implicat implicare Deum id non posse, impotentiam istam exigente naturâ, sive essentiâ solis, mundi, &c. neque oppositum efficaciter probabis. Ex quo quàm plurima implicabunt, quæ implicat implicare.

D V B I V M II.

an ens possibile ut sic ab aeterno habeat aliquod esse diminutum.

R E S O L U T I O.

VI. **D**ico, ens possibile ut sic, nullum dicit esse actuale essentia & diminutum, distinctum ab esse idæali & virtuali, quod habet in Deo ut cognoscente, & ut causa; sed ut sic, ut sapienter docet D. Thomas de potentia art. 5^o. Non est creatura

K k

ra, sed